

*MASTER  
NEGATIVE  
NO. 92-80704-3*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the  
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the  
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from  
Columbia University Library

## **COPYRIGHT STATEMENT**

**The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.**

**Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.**

**This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.**

*AUTHOR:*

FABRICIUS, AUGUST

*TITLE:*

DE M.LEPIDI APUD  
C.SALLUSTIUM ...

*PLACE:*

MOSQUAE

*DATE:*

1848

Master Negative #


92-80704-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES  
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

---

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



25499

---

Restrictions on Use:

---

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 7-14-83 INITIALS ny



FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



**AIIM**

**Association for Information and Image Management**




1100 Wayne Avenue, Suite 1100  
Silver Spring, Maryland 20910  
301/587-8202




**Centimeter**




**Inches**



MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS  
BY APPLIED IMAGE, INC.





DE M. LEPIDI

APUD C. SALLUSTIUM ORATIONE

QUAESTIONEM

PROPOSITUM

AUGUSTUS FABRICIUS,

SEMINAR. PHILOLOG. IENENS. EXSENIOR. CAESAR. MOSQUENS.  
LITERAR. UNIVERSIT. LECTOR.

---

MOSQUAE MDCCCXLVIII.

LIPSIÆ, venum dat E. F. Steinacker.

Печатать позволяетя,  
съ тѣмъ, чтобы по отпечатаніи представлено  
было въ Цензурный комитетъ узаконенное число  
экземпляровъ.

Москва, Октября 25 дня 1847.

Цензоръ Николай Зерновъ.

## PRAEFATIO.

Neque ignoratis, quae hodie frons sit nonnullorum, de parvo linguae latinae pretio tanquam de tripode declamantium: quorum utrum superbiam prius memorem an ignorantiam?

EICHSTADIUS.\*)

Totius quaestiunculae ratio haec est. Ex desperditis C. Crispis Sallustii historiarum libris oratio superstes est, quam M. Aemilius Lepidus consul contra L. Cornelium Sullam dictatorem egisse vulgo creditur. Tamen multa intercedunt, quominus eam Sallustio adscribas: primum enim a vero alienum videtur, Lepidum consulem Romanos impune ad arma vocasse contra dictatorem in republica maxime pollentem; dein certissimi testes affirmant, Sullam ante Lepidi consulatum dictatura se abdicasse; postremo, haec concio

---

\*) Henricus Carolus Abrahamus Eichstadius, Germaniae decus, in orat.: *De nova societatis latinae instauratione. Ienae MDCCCXL.*

*in verbis quidem et locutionibus Sallustium  
repraesentat, in argumentis vero parum  
sibi constat, totaque clumbis atque debilis  
est. Quas ob causas hanc orationem ab imi-  
tatore contra temporum rationem verique  
similitudinem effectam putaverim. De his ita-  
que in hoc opusculo quaesivi. Dicendi autem  
genus elegi simplex atque tenue: displicant  
enim illi, qui in huiusmodi disquisitionibus  
rhetores agunt, et „magno afflati spiritu alti-  
sonis verbis admirationem imperitis atque stu-  
porem incutunt.“*

*Scr. Mosquae - Rossorum ipsis Cal. Octobr.  
anno p. Chr. nat. MDCCCXLVII.*

### **Quaestio de M. Lepidi apud C. Sallustium oratione.**

Inest :

- I. Introitus.
- II. Sullae et Lepidi vitae.
- III. Lepidi oratio.
- IV. Dubia.
- V. Sententiae recentiorum.
- VI. Eorum recensio.
- VII. Testimonia veterum.
- VIII. Eorum recensio.
- IX. Oratio examinatur.
- X. Conclusio.

Primum deprecor, ne me tamquam philosophum putetis, scholam vobis aliquam explicaturum.  
Cicero de finib. II, 1.

I. Caium Sallustium Crispum, eundem qui Catilinam et Jugurtham scripsit, etiam res populi romani M. Lepido Q. Catulo consulibus ac deinde gestas composuisse, compertum habemus.<sup>1)</sup> Id autem opus quinto et decimo seculo adhuc integrum atque incolumē, tam adversa inde fortuna tantaque temporum iniuria est usum, ut eius nunc nihil quam pauca „fragmenta“ supersint: minorā passim a scriptoribus conservata, maiora in duobus libris vaticanis. Qua tanta iactura vehementer commoti, superiorum plures omnia haec dissecta sparsaque membra sedulo collegerunt, si totum corpus ex his

---

<sup>1)</sup> Plura de hac Sallustii historia apud Baehni invenies in: Geschichte der röm. Literatur 1832. §§. 190. sq.

efficere possent; sed deperdita iam colchica illius Medeae arte maiorem diligentiam, quam eventum habuerunt.<sup>2)</sup> Qua re deterriti recentiores uberiori cum fructu studium suum in solis maioribus fragmentis collocaverunt. Quae enim librariorum socordia foede depravavit, ea Gerlachii accurata codicem vaticanorum collatio<sup>3)</sup> et sagax Orellii studium<sup>4)</sup> plurimis in locis refecerunt. Nihil tamen secius de multis rebus, quae in his maioribus fragmentis tractantur, minus constat, pluresque libri, qui ad dicendi tex- tum melius castigandum facere videntur, inter se nonnullum comparati sunt;<sup>5)</sup> ita ut multi

<sup>2)</sup> De his vide sis Fuhrmannum in: Handbuch der class. Literatur. 1810. IV, 581 sq. — Kritz de C. Sall. fragmentis. 1829.

<sup>3)</sup> Gerlachius C. Sallustii quae exstant. 1827. III tom. 4nis.

<sup>4)</sup> C. Sallustii oratt. et epist. ex historiar. libris deperditis. 1831. — C. Sall. Catilina, In- gurtha oratt. et epp. 1840.

<sup>5)</sup> Utputa editio princeps, quae anno 1475 octonis Romae prodiit, nonnullum enim aliis collata est.

adhuc loci sensus integritate careant, atque interpretis curam desiderent.

In his itaque fragmentis primo loco legitur oratio Lepidi consulis ad populum romanum, quae tota in L. Sulla dictatore conviciis lacerando versatur, atque plurima habet, quae dubitari possint.

II. Sed antequam ad eam venio, ne postea in singulis rebus explicandis haerream, videntur pauca esse praemonenda, quae ad illorum temporum historiam pertinent.

<sup>6)</sup> Aequo iure inter plebem et patres communicato, eorum potestas Romae invaliduit, qui honoribus provinciisque aut vetergalium redemtione nobilitatem atque opes sibi paraverant. Hi optimates, dum imperium populi romani sociis abutendo crebrisque bellis augebatur, ceteros cives iisdem fere artibus, quibus antea patricii ple-

<sup>6)</sup> Auctores, praeter veteres, mihi in primis fuerunt: Niebuhr in: Röm. Geschichte nach Niebuhrs Vorträgen, anglice a Schmitzio edita, germanice a Zeissio. 1844. — Göttlingens Geschichte der röm. Staatsverfassung. 1840.

bem, in egestate et paene in servitio retinebant. Populares vero his iniuriis permoti ad socios inclinarunt,<sup>7)</sup> qui precum, ut quondam plebes, pertaeserunt ad arma recurrerunt.<sup>8)</sup> Quo bello „sociali“ dum varie pugnatur, duo viri, civium dissensionibus in castra tralatis, civile bellum excitant.<sup>9)</sup>

<sup>10)</sup> Gajus enim Marius L. Cornelium

<sup>7)</sup> Optimates et populares cum patriciis et plebeis confundi non debent, in quo erravit Merimée la guerre sociale. 1845. Saepe enim, ut sit in civilibus discordiis, patricii cum popularibus, plebei pro optimatibus steterunt. Socii eodem discidio laborabant: quorum multi pro connubiis aliquisque necessitatibus rei romanae favebant.

<sup>8)</sup> Weiland de bello Marsico. 1834. — Merimée cit. — Kiene der röm. Bundesgenos senkrieg. 1845.

<sup>9)</sup> Kiene l. c. cap. VII. Der Bundesgenos senkrieg wird ein Bürgerkrieg.

<sup>10)</sup> Auctores recentiores: Zachariae Sulla als Ordner des röm. Freistaats. 1834. parte I. — Drumannus Gesch. Roms in seinem Uebergange von der republican. zur monarchisch. Verfassung. 1834 in vita Sullae.

Sullam, privatus iure sortitum, Asia provincia per tribunos exuere voluit, sed a C. Sulla urbe expulsus est, qui victoria clementer usus contra Mithridatem in Graeciam traiecit. Dum ibi rem prospere gerit, consules Cinna et Carbo, iusta civitate sociis data, hos Mario conciliaverunt, urbeque ipso Mario duce capta, Sullanos pro hostibus habuerunt. Quam ob rem Sulla, pace cum Mithridate facta, infestus Romam rediit, Marii iam demortui asseclas severissime punivit, atque dictator reipublicae constituendae causa creatus, rem publicam ad hunc fere modum constituit. Primum,<sup>11)</sup> ut suorum caudem ulcisceretur Marianorumque vires fraugeret, horum principes vita bonisque exuit: liberis eorum hominibus interdixit: sociis et civitatibus, quae

<sup>11)</sup> Wittichius de reip. rom. ea forma, qua L. C. Sulla totam rem rom. commutavit. 1834. Ramshornius de eadem re eodem titulo. 1835. Göttlingius cit. capite: Die Sullanische Verfassung. Vockestaert de L. C. Sulla legislatore. 1816. — Thesaurus variarum lectionum auctore Pancirolo. Lugduni 1617. II, 132. —

secum non fecerant, civitatem agrosque admittit. Dein Romae tribunorum potestatem paene sustulit; comitiorum licentiam coercuit: senatus auctoritatem iudiciis ab equitibus tralatis auxit; rem iudicariam ordinavit; leges sumptuarias tulit. Postremo, ut has mutationes quasi fundamento stabiliret, senatorum numerum asseclis auxit; decem millia servorum civitate donavit, agrosque expulsorum civium et sociorum legionibus assignavit. Ceterum, libertatis et legum specie populo blandiens, consules creari passus est, ipseque consulatum dictator iniit. Dein vero dictatura se ultiro abdicavit, rationes actorum, si quis vellet, pro concione promittens, atque privatus in Cumanum<sup>12)</sup> secessit, tanta cum gratia, auctoritate atque potestate, ut Puteolanis potentibus leges scri-

<sup>12)</sup> Appianus eum Cumis, Aurel. Victor Puteolis habitasse refert, quod fere idem. Strabone enim teste (V, 4. §. 6.) ἦν δὲ πρότερον μὲν Δικαιαρχία ἐπίνειον Κυμαίων· κατὰ δὲ τὴν Ἀρνίβα στρατελαν στράχισαν Ρωμαῖοι καὶ μετωνόμασαν Ποτιόλονς.

beret,<sup>13)</sup> curam restaurandi Capitolii non deponeret,<sup>14)</sup> Graniumque decurionem Puteolanum, officium recusantem, pridie ante mortem strangulaverit.<sup>15)</sup> Quo in secessu vita defunctus<sup>15a)</sup> Romaeque ingenti cum honore sepultus est.

De M. Aemilio Lepido, ntpote neque ingenio neque rebus gestis cum Sulla comparando, veteres parcis scripserunt. Quamquam Saturnini, Marianorum antesignani gener erat, tamen ad Sullam ex Asia reducem transiit, proscriptorumque bona cupide coemit. Dein Siciliam ex praetura provinciam adeo vexavit, ut repetundarum indicium po-

<sup>13)</sup> Plutarchus in vita Sullae. 34. 37. Valerius Max. IX, 3.

<sup>14)</sup> Tacitus histor. III, 72. Valer. M. IX, 3. Plinius VII, 44.

<sup>15)</sup> Plutarchus l. c. Valerius M. ib.

<sup>15a)</sup> De morbi genere quaeritur. Beck Anleitung zur Welt- und Völkergeschichte. 1788. vol. 2do eum „venero“ morbo periisse putat, novi quid proferens.

puli gratia vix effugerit.<sup>16)</sup> Nihilo tamen minus consul creatus est, idque, si Plutarchio fides habenda, favente Pompeio, Sulla invito atque praesente.<sup>17)</sup> In consulatu autem obstitit, ne Sullae exsequiae perficerentur: sed, adversante iam ipso Pompeio, frustra. Dein acta Sullae rescissurus bellum civile movit, sed a Catulo et Pompeio victus in Sardiniam traiecit ibique in casa rustica morbo perit.<sup>18)</sup>

III. His utriusque viri rebus gestis breviter expositis, aditique quasi patefacto ad ipsam orationem transeo.

De Sallustii sermone et orthographia<sup>19)</sup>

<sup>16)</sup> Cujus rei testis est Asconius ad Ciceronis in Verrem II, 2.

<sup>17)</sup> Plutarchus in Sulla 34. in Pompeio 15.

<sup>18)</sup> Praecipui prater veteres de Lepido autores sunt: Reifius Gesch. der röm. Bürgerkriege. 1825. II, 41—64. — Drumannus cit. in vita Pompei.

<sup>19)</sup> Unde factum sit, ut quisque fere scri-

ex duobus, quos dixi, vaticanis codicibus et alio historiae sallustianae fragmento muper Romae invento,<sup>20)</sup> nunc certius iudicium ferri potest. Eorum enim scriptura documento est: „horridorem primitus sallustianum sermonem fuisse, eandemque quam „Catonis Origines asperitatem retulisse.“<sup>21)</sup> Quapropter iis, quae praesto erant, admiculis usus, novissimas editiones secutus sum, oratione in „paragraphos,“ quae videbantur, partita: quae vero de rebus et lectionibus admonenda erant, in margine apposui.

---

ptor romanus peculiari orthographia uteretur, vide sis apud Handium Lehrbuch des lat. Styls. 1839. pag. 98.

<sup>20)</sup> Ad Spartaci bellum pertinet.: C. Sall. Cr. historiarum libri III. fragm. edita ab A. Maio. Edit. auctior et emendatior, curante Kreyssigio. 1830.

<sup>21)</sup> Gerlachio teste, III. pag. 18. Quia in re sane docendum est, codices in scribendo sibi minus constare. id.

ORATIO LEPIDI CONSULIS AD POPULUM  
ROMANUM.

§. I. Clementia et probitas vestra, Quirites, quibus per ceteras gentes maximi et clari estis, plurimum timoris mihi faciunt advorsum<sup>22)</sup> tyrannidem L. Sullae: ne, quae ipsi nefanda aestumatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini: — praesertim quom illi spes omnis in perfidia atque sceleto sit, neque se aliter tutum putet, quam si peior atque intestabilior<sup>23)</sup> metu vestro<sup>24)</sup>

<sup>22)</sup> Haesitaverunt in hae locutione interpretes: res tamen plana. *Iug. 105.* timor aliquantus, sed spes amplior, quippe victoribus, et advorsum eos, quos saepe vicerant. *Iug. 43.* advorsum divitias invictus.

<sup>23)</sup> Hae voce, in legibus XII. tabularum obvia (Gellius N. A. VI, 7.) Sallustius usus est in *Iug. cap. 67.* Usurpatur de homine improbo malisque artibus dedito. Kritz ad. l. *Iug. cit.*

<sup>24)</sup> Bureau de Lamelle interpretatur: „espèce d'ablatif absolu: la crainte étant votre lot.“ Corte: „peior, quam vos timetis.“ Burnouf:

fuerit, quo captivis<sup>25)</sup> libertatis curam miseria eximat: — aut si provideritis, in vi tandis<sup>26)</sup> periculis magis, quam ulciscendo teneamini. §. 2. Satellites enim eius, homines maxumi nominis, optimis maiorum exemplis, nequeo salis mirari, qui dominacionis in vos servitium suum mercedem dant, et utrumque per iniuriam malunt, quam optumo iure liberi agere: praecleara Brutorum atque Aemiliorum atque Lutatiorum proles, geniti ad ea, quae maiores virtute peperere, subvertunda!<sup>27)</sup> Nam quid a Pyrrho, Hannibale, Philippoque et Antiocho defensum est aliud, quam libertas et suae cuique sedes:

„metum vestrum sceleribus superarit.“ Ablativum instrumenti esse, verba docent §phi 3ae: dnm vos metu gravioris serviti a repetunda libertate terrenimi.

<sup>25)</sup> Ita vaticanus uterque: edit: „captis“. Burnouf interpretatur: „vobis, qui capti estis:“ corrigere „eritis,“ nam de futuro periculo timet Lepidus.

<sup>26)</sup> Alii „tutandis“: haud male. Caesar B. C. I, 52. tutari inopiam. Sed obstant libri.

<sup>27)</sup> Hoc ad Lepidi collegam et ad consules sequentis anni, D. Brutum et Mamercum Aemilium Lepidum Livianum pertinere videtur. Gerlach.

neu cui nisi legibus pareremus? §. 3. Quae cuncta scaevus iste Romulus<sup>28)</sup> quasi ab extensis raptis tenet, non tot exercituum clade<sup>29)</sup> neque consulum<sup>30)</sup> et aliorum principum, quos fortuna belli consumpscerat, satiatus<sup>31)</sup>

<sup>28)</sup> Vaticanus II. et edit: „saevis.“ Haud male; nam saevitia a fratribus percussore non aberat, solumque Romuli nomen, ob regni odium, libera republica, invisum erat. Ita Piso apud Plutarchum (in Pomp. 25.) Pompeio minatur: ὅτι ‘Ρόμυνδον ζηλῶν οὐ γενέσται τάντον ἐκείνῳ τέλος. Sed praestant nostrum, quod Vatic. I. exhibet. Servius quoque vocem; „perverse Menalia“ in Virgil. eclog. III, 13. explicans, addit: „Sic Sallustius: scaevus iste Romulus.“ Igitur est: non felix, quem se praedicat, sed scaevus: non conditor, sed eversor. Sulla enim, finibus imperii non prolati, pomoerium urbis protulerat. Gellius II, 14. Tacitus Ann. XII, 23. — Eadem ratione apud Suetonium. Tib. 59. „felix sibi, non tibi, Romule, Sulla.“ —

<sup>29)</sup> Victoriae Sullanae in comparatione Sullae cum Lysandro enumerantur cap. 4.

<sup>30)</sup> Carbonis, Marii filii, Norbani consulum. Gerlach.

<sup>31)</sup> Appianus in bello civ. I, 103. ad duo fere millia senatorum et equitum a Sulla proscripta refert.

sed tum crudelior, quom plerosque secundares in miserationem ex ira vortunt. Quin solus omnium post memoriam hominum<sup>32)</sup> supplicia in post futuros composit, quis prius iniuria, quam vita certa esset,<sup>33)</sup> pravissimeque per sceleris immanitatem adhuc tutus fuit,<sup>34)</sup> dum vos metu gravioris serviti a repetunda libertate terremini. §. 4. Agendum atque obviam eundum, Quirites, ne spolia vestra<sup>35)</sup> penes illos sint: non

<sup>32)</sup> Libri ms. solum „humani“ habent. Quod enim nihil sit, vel cum Orellio adde: „generis“ vel lege: „hominum“. —

<sup>33)</sup> Id Plutarchi loco explicatur, qui (in Sulla 31) haec: τῶν γὰρ προσγεγαμμένων ἡτίμωσε καὶ νιοὺς καὶ νιωρὸς καὶ τὰ χρηματα πάντων ἔδιψε.

<sup>34)</sup> Ita libri. Cortsius aliisque: „furiit.“ At Lepidus Sullam astutiae arguit atque perfidiae, quae non sunt furentis.

<sup>35)</sup> Sall. lug. 84. At Marius — dictare sese consulatum ex victis illis spolia cepisse. Plut. Crass. 2. Σύλλας ἐπώλει τὰς οὐσίας τῶν ἀνηρεμένων ὑπ' αὐτοῦ, λάφυρα καὶ νομῆς καὶ δρουάζων.

prolatandum neque votis paranda auxilia: nisi forte speratis taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse et eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eo processit, ut nihil gloriosum nisi tutum et omnia retinendae dominationis<sup>36)</sup> honesta aestumet. Itaque illa quies et otium cum libertate, quae multi probi potius quam laborem cum honoribus capessebant, nulla sunt.<sup>37)</sup> Hac tempestate serviendum aut imperitandum, habendus est metus aut faciundus, Quirites. Nam quid ultra? quaeve humana superant aut divina impolluta sunt? Populus romanus, paullo ante gentium moderator, exutus imperio gloria iure,<sup>37a)</sup> agi-

<sup>36)</sup> Burnouf supplet: „causa.“ Perperam. Sall. Catil. 6. regnum imperium conservandae libertatis fuerat.

<sup>37)</sup> Intellige: non sunt. Ita Catil. 29. „nulli earum rerum consuli ius esse;“ ubi videris Kritzium.

<sup>37a)</sup> Ad immunitam comitiorum potestatem pertinet; nempe ius pontificum creandorum, rerum capitalium iudicium, legumque sanctionem iis ademerat. Göttingius. I. c. §. 150.

tandi inops<sup>38)</sup> despectusque ne servilia quidem alimenta reliqua habet<sup>39)</sup> Sociorum et Latii magna vis civitate pro multis et egregiis factis a vobis data per unum prohibentur<sup>40)</sup> et plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites<sup>41)</sup> mercedem scelerum. Leges iudicia aerarium, provinciae reges<sup>42)</sup>

<sup>38)</sup> Agitare Sallustio interdum idem est, quod „vivere.“ Iug. 18. propius mare agitabant. Gerla ch.

<sup>39)</sup> Servorum vita et alimenta tunc temporis ex dominorum arbitrio pendas. Cato de re rust. 56—58. Quare de certa mensura hic ne cogita. Servilia alimenta mili sunt vilissima. Ad leges corneliae de sumptu alludit Lepidus.

<sup>40)</sup> Nempe Lucania, Campania, Apulia, Brutti, Etruria, Samnum totae vel partim punitae et Latii pars. Niebuhr. Vorlesgn. rit. I, 153. Götting. cit. §. 149.

<sup>41)</sup> Quos paucos vocat Lepidus Livio (epit. 89.) sunt XLVII legiones; Appiano (bell. civ. I, 100.) XXIII legiones, alioque loco (ib. I, 104.) CXX millia legionariorum.

<sup>42)</sup> Sic collegae Metello Hispaniam provinciam, Pompeio Africam, Alexandro II. Aegyptum permiserat. App. I, 102.

penes unum, denique necis civium et vitae licentia.<sup>43)</sup> Simul humanas hostias vidistis et sepulcra infecta sanguine civili.<sup>44)</sup> Estne viris reliqui aliud, quam solvere iniuriam<sup>45)</sup> aut mori per virtutem? quoniam quidem unum omnibus finem natura vel ferro saepis dedit, neque quisquam extremam necessitatem nihil ausus nisi muliebri ingenio exspectat.  
§. 5. Verum ego seditionis, ut Sulla ait, qui praemia turbarum queror et belli cupiens, qui iura pacis repeto. Scilicet, quia non aliter salvi satisque tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picens et Cornelius scriba<sup>46)</sup> aliena

<sup>43)</sup> Eandem potestatem Sulla dictatori tribuit Plutarchus (in Sulla, cap. 33.).

<sup>44)</sup> M. Gratidianum, praetorium, ad sepulcrum Q. Catuli, a Marianis olim caesi, detractum, dunque cruciatum, ut per singula membra moreretur, Catilina ad extremum necavit. Livii ep. 88. Orosius V, 21.

<sup>45)</sup> Interpretes afferunt: Phaedri IV, 33. solvere errorem. Liv. I, 94. solvere morem. Ovid. Fast. V, 303. solvere iniuriam poenis.

<sup>46)</sup> De Vettio nihil certi constat: Cornelius ille Chrysogonus videtur esse, qui Roscius Ameri- num spoliavit.

bene parata<sup>47)</sup> prodegerint, nisi approbaritis omnes proscriptionem innoxiorum ob di-  
vitias,<sup>47a)</sup> cruciatus virorum illustrium, va-  
stam urbem fuga et caedibus<sup>48)</sup> bona ci-  
vium miserorum, quasi cimbricam praedam  
venum aut dono datam.<sup>49)</sup> At obiecta mihi possessiones ex bonis proscriptorum;  
quod quidem scelerum illius vel maximum

<sup>47)</sup> Ita Vat. I. Vat. II. habet „parta.“ Utrumque a Sallustio non alienum. Kritz ad Jug. 31, 17. sed parata in antiquis formulis invenitur, ideoque Sallustio arridebat; facileque in usitatius „parta“ mutari potuit.

<sup>47a)</sup> Cuius rei exemplum unum sufficiet. Plut. Sulla 31. Κοίντος δὲ Ἀνδρίου, ἀνὴρ ἀπράγμων-εἰς ἀγορὰν ἐλθὼν, ἀνεγίνωσκε τοὺς προγεγραμμένους· εἴρην δὲ ἔσυντόν· οἵμοι τάλας, εἶπεν, διώκει με τὸ ἐν Ἀλβανῷ χωρίον· καὶ βραχὶ προελθὼν-ἀπεσφάγη.

<sup>48)</sup> Urbis post Sullam ruinas passim testantur veteres. De qua re vide sis Hirtium in: Gesch. der Baukunst, parte I.

<sup>49)</sup> Plut. Sulla 33. τὰς δὲ διαπράσεις τῶν δεδημειμένων οὔκων οὔτως-ἐποιεῖτο- δεσποτικῶς- ὥστε τὰν ἀγαιόσεων ἐπαγχθεστέρας αὐτοῦ τὰς διωρεὰς εἶναι rel.

est, non me neque quemquam omnium satis tutum fuisse, si recte faceremus.<sup>50)</sup> Atque illa quae tum formidine mercatus sum pretio soluto, iure dominis tamen restituo,<sup>51)</sup> neque pati consilium est ullam ex civibus praedam esse. Satis illa fuerint, quae rabie contracta<sup>52)</sup> toleravimus, manus conserentis in-

<sup>50)</sup> Lepidus, Siciliae depraedator, innocentiam suam mihi frustra praedicat. Niebuhr (cit. 525.) fidem fecisse miror. — Effrenatam principum avaritiam Cato Ptolomaicum edocuit: tota, inquit, Aegypto tua in argentum mutata eos non satiabis. Plut. Cato M. 35.

<sup>51)</sup> Haerent editores in distinguendo. Edit. Antwerp. 1564. „pretio, soluto iure, dominis.“ Orell.: „pretio soluto, iure, dominis.“ Corte: „pretio soluto: iure dominis.“ Res plana est. Lepidus fatetur, se vi coactum aliena bona iniuste secuisse, et pollicetur, se haec dominis restituturum iure, quamquam pretio ex sua resoluto. Itaque „iure“ est: pro iure, uti res atque ins postulat. Iug. 14. dum Carthaginenses incolumes fuere, iure omnia patiebamur.

<sup>52)</sup> Hanc lectionem pro aliorum „contacta“ exemplis ex Plauto, Cicerone, Livio bene tuerit. Ha vercarius apud Frotscherum: Comment. in Sall. III. 23.

ter se romanos exercitus et arma ab externis in nosmet vorsa. Scelerum et contumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Sullam non poenitet, ut et facta in gloria numeret, et, si liceat, avidius fecerit.<sup>53)</sup> §. 6. Neque iam quid existumetis de illo, sed quantum audeatis vereor: ne alius alium principem exspectantes antecapiamini;<sup>54)</sup> non opibus eius, quae futilis et corruptae sunt, sed vostra socordia, quam raptum<sup>55)</sup> ire licet ei, quem audias tam videri felicem.<sup>56)</sup>

<sup>53)</sup> Plut. Sulla 34. ἀπολογισμὸν ἐν ἐκκλησίᾳ τῶν πρόξεων ποιούμενος - πέρας ἐπέλευσεν ἑαυτὸν, ἐπὶ τούτοις Εὐτυχῆ προσαγορεύεσθαι.

<sup>54)</sup> Antecapi est falli, decipi. Gerlach ad h. l.

<sup>55)</sup> Ita libri. Rapere enim interdum idem est quod capere atque diripere. Liv. VI, 23. castra rapere.

<sup>56)</sup> Locus corruptus, in quo editiones titubant. „Quam“ pronomen est. Neque „audias“ in „audeat“ mutato, coniungendum: „capiamini ante — quam;“ quae tmesis neque sallustiana est, neque sensum habet. Quid enim hoc est: vereor, ne capiamini, ante quam ei licet captum ire? — Lectio incertissima. Editiones pleraque, ut puta Bipont: „quam

Nam praeter satellites commaculatos quis eadem volt? aut quis non omnia mutata prae-

captum ire licet, et quam audeat tam videri felicem.“ Burnouf in verbis: „tam felicem, quam audeat“ ironiam videt, et lusum in verbo „felicem,“ atque interpretatur: „vereor ne vos ante capiamini, quam ille capiatur, et tunc eum videri tam felicem, quam audeat (vel audax sit); quasi Lepidus dicat: Sulla se felicem dici vult; licet eum vobis sic felicem reddere, ut sua audacia esse promeruit.“ Gronovius haec suadet: „Ne — ante capiamini, — quam captum ire libeat, et quantum audebitis tum videri felicibus.“ Vaticanus uterque: „quam raptum iri licet et quam audeas (vatican. 2. audias) tum videri felicem.“ Orellius 1831. „raptum ire licet ei, quem haud pudeat tam v. f.“ Idem 1840: „raptum iri l. ei, quem audias tum v. f.“ Prior Orelli lectio a literarum ductu nimis recedit: altera sensu caret. Illud enim „tum“ nihil est: atque „audias“ hic neque pro optativo neque pro futuro sumi potest. Sallustium de Sulla, iam dudum felicis cognomine appellato, seripsisse putas: si rapiet vestram socordiam, opto tum audias, (sive: tum audies) hunc felicem esse? Quod ego posui, sic intellige: vereor, ne fallamini vestra socordia, qua per vos abuti licet Sullae, quem solus rumor tam felicem facit. Utut est, locus sagaciorem interpretem desiderare videtur.

ter victoram? Scilicet milites: quorum sanguine Tarulae Scyrtoque, pessimis servorum, divitiae partae sunt;<sup>57)</sup> an, quibus praelatus in magistratibus Fufidius, ancilla turpis,<sup>58)</sup> honorum omnium dehonestamentum?<sup>59)</sup> Itaque maximam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot vulnera et laboris nihil praeter tyrrannum quaesitum est. Nisi forte tribuniciam potestatem evorsum profecti sunt per arma, conditam<sup>60)</sup> a maioribus suis, uti-

<sup>57)</sup> De his nihil inveni. Instrumenti novis colonis praebendi conductores fuisse videntur.

<sup>58)</sup> Confer, si lubet, Cicero. ad Atticum I, 14. „totus ille grex Catilinae, duce filio la Curionis — rogabant;“ ibique interpret.

<sup>59)</sup> Centurio Fufidius a Sulla in senatum electus, (Oros. V, 21.) hunc hortatus esse dicitur, ut nomina hostium proponeret. Drumann. cit. II, 471.

<sup>60)</sup> Utrum post „sunt,“ an post „arma“ distinguendum sit, quaesitum est. „Per arma conditam“ historiae non repugnat. Nam Cicero (de legib. III, 8.) ipseque Sallustius alio loco (fragm. histor. apud Burnouf cit. pag. 347.) tribunatum inter arma obsessisque urbis locis ortum dicunt. Sed sensus nostram distinctionem requirit. Lepidus enim non de

que<sup>61)</sup> iura et iudicia sibi extorquerent; egregia scilicet mercede, quum relegati in paludes et silvas<sup>62)</sup> contumeliam atque invidiā suam, praemia penes paucos intellegērint. §. 7. Quare igitur tanto agmine atque animis incedit? <sup>63)</sup> quia secundae res mire sunt vitiis obtentui: quibus labefactis, quam formidatus est, tam contemnetur; — nisi forte specie concordiae et pacis, quae sceleri et parricidio<sup>64)</sup> suo nomina indidit. Neque ali-

---

tribunatus origine disputat, sed persuadere vult populo, profectionem militum documento esse, eos armis renuntiasse, neque per arma eversuros tribunatum, a maioribus conditum, ideoque sacrum atque sanctum.

<sup>61)</sup> Vatican. I., itaque. "Sed: „profecti sunt evorsum, — itaque — iura extorquerent“ barbarum est.

<sup>62)</sup> Aliis testibus conditio Sullanorum initio longe alia fuit. Cicero Cat. II, 9. „homines ex iis coloniis, quas Sulla constituit: — dum praediis, lecticis, familiis magnis, conviviis apparatus delectantur, in — aes alienum inciderunt.“

<sup>63)</sup> De hoc Appianus Civ. I, 100. πελέκεις γὰρ ἐφέροντο πρὸ αὐτοῦ οἷα δικτάτορος, εἴκοσι καὶ τέσσαρες καὶ γυλακήν τοῦ σώματος περιέθετο πολλήν.

<sup>64)</sup> Parricidium dicitur de omni caede, qua

ter rempublicam et belli finem ait,<sup>65)</sup> nisi maneat expulsa agris plebes, praeda acerbissima, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi romani suit. §. 8. Quae si vobis pax et composita intelliguntur, maxima turbamenta reipublicae atque exitia probate, annuite legibus impositis, accipite otium cum servitio et tradite exemplum posteris ad rempublicam suimet sanguinis mercede circumveniundam. Mihi quamquam per hoc summum imperium satis quaesitum erat nomini maiorum, dignitati atque etiam praesidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere,<sup>66)</sup> potiorque visa est periculosa li-

---

etiam religio pietatis aut aliorum officiorum violatur: parricida civium. Catil. I, 12. Ernesti clavis Cic.

<sup>65)</sup> Ita libri ms. Corte: „reipublicae esse belli finem;“ quod ductu non multum distat (R P et — R P ēē): sed praesens pro futuro positum offendit. Orellius quoque (1831.) hunc locum corruptum putat. Certe nimia brevitate laborat; vix enim comparare licet Ciceronem pro Mil. 23. verbis: multi etiam Catilinam et illa portenta loquebantur.

<sup>66)</sup> Locutio teste Seneca in ep. 114 Sallustio propria. Gerlach.

bertas quieto servitio. Quae si probate, adeste, Quirites, et bene iuvantibus dis<sup>67)</sup> M. Aemiliūm consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem.<sup>68)</sup>

IV. Hac itaque in oratione multa fortiter dicta sunt magnaue cum animi constantia, sed ea quae iure mirari possis.

Primum enim ipsa res satis nova videtur. Nam Lepidus hac oratione tribus nominibus reus erat: primum, quod concionem sua sponte convocasset: dein quod contra magistratum superiorem egisset, et denique, quod populum romanum ad arma vocasset; quae omnia ex lege cornelia maiestatis, ab ipso Sulla lata, capitalia erant.<sup>69)</sup> Qui igitur,

<sup>67)</sup> Vatican. I., divis. "Vatican. II. dis, quod Sallustio usitatus. Iug. 85. „iuvantibus dis.“

<sup>68)</sup> Libertas saepe ponitur pro iure Quiritium. Sigenius de antiqu. iure Romanor. I, 6. — Cicero de rep. III, 14.

<sup>69)</sup> Hoc fusius explicuerunt: Götting. cit. §§. 149. et seq. — Drumann. cit. II. pag. 487. et sq.

quaeso, factum est, ut Lepidus, populo ad arma vocato, Sullae ultionem effugerit? At dices, Sullae potentia iam imminuta erat, et quem a consulatu repellere non valuit, eundem Lepidum post hanc orationem ulcisci non est ausus: cessit populo, dissimulavit, ignovit. His quae respondeam, haec habeo. Sane quidem Sulla nonnisi partium et populi gratia valebat, quam dando, largiendo, indulgendo atque civitatis legumque specie captare studebat. Hoc studio ductus, iam ante Lepidum urbem post primam de Marianis victoriam cum exercitu tenens, suis candidatis repulsis, Lucioque Cinna et Cn. Octavio consulibus lectis, laetitiam simulavit quod populus sua libertate usus esset,<sup>70)</sup> atque dictaturam non iure armorum capere, sed a populo sibi deferri maluit: hac, inquam, ratione, acta sua populo confirmanda dedit, consulesque se dictatore creari passus est, ipseque consulatum petivit. In singulis igitur rebus asseclis suis interdum morigerans, hoc ipso potestatem tuebatur non so-

<sup>70)</sup> Plutarchus in vita Sullae cap. 10.

lum, sed etiam augebat, totamque reipublicae, quam instituerat, formam intactam conservabat. Quare in eligendo Lepido connivens, nihilo secius partium suarum caput manebat. Sin vero putas, Sullam non temporibus sapienter usum, sed Pompeianorum vi coactum, Lepidi consulatu indulsisse; tamen videbis, eum contra solum Lepidum talia molientem, validissimum fuisse. Omnes enim quos agris bonis honoribus auxerat, cum eo contra hostem faciebant, qui haec sibi eripere vellet; a quibus etiam Lepidus postea victus est. Adde, ex ipsa oratione clarum esse, nihil adhuc pristinae potentiae de Sulla detractum fuisse, quare non erat, quod vulpeculam hac in re potius, quam leonem ageret. Huc accedit Sullae animus ad ultionem propensus, ab aevi gentisque vitiis non alienus.<sup>71)</sup> Cor-

<sup>71)</sup> De Sullae moribus atque indeole varie indicatum est. Zachariae cit. pag. 164. sq. In transitu temeritatem nota Fassolii (breve restritto della storia romana 1819.), qui haec blaterat: „finalmente renunzio la dittatura perpetua che gli fu offerta: ed a questo solo punto si reduce il bene, che più dirsi di questo illustre scelerato.“

nelia enim gens exempla dederat animorum plus quam civiliū,<sup>72)</sup> contemptus legum et populi,<sup>73)</sup> doli atque crudelitatis,<sup>74)</sup> quin dictaturaē perpetuae a populo oblatae atque recusatae.<sup>74a)</sup> Sulla igitur gentis populique via representasse videtur, sed mirum in modum aucta. Superstitione enim romana imbutus, tamen, nimiae felicitatis quasi iure fretus, seque iure divino iuxta atque humano

<sup>72)</sup> Africarus maior animi plus quam civilis accusatus est. Gellius IV, 18. — Confer, si luget, Livium 28, 40.

<sup>73)</sup> Uterque Scipio, ne rationes belli Antiochici redderentur, recusavit. Livius 38, 55. — Scipio quidam civis rustici manum callosam prensans, eum interrogavit, num manibus ire soleret? ob eamque petulantiam repulsam tulit.

<sup>74)</sup> Africarus fraude, non ut maiores virtute, victoriam querens, cum Massinissa, Carthaginiensium socio pepigit, ut in ipsa pugna ad se transiret. Liv. 29, 34. Idem quadringentis Hispanis nobilibus manus abscondit, quos Numantinis favere suspiebatur. Apian. Hisp. VI, 94.

<sup>74a)</sup> Livio 38, 5. et Valerio Max. IV, 1. testibus.

solutum putans, deorum templa spoliabat,<sup>75)</sup> legesque a se datas ipse violabat<sup>76)</sup> admodumque perfidus,<sup>77)</sup> hac perfidia sicut deorum dono gloriabatur.<sup>78)</sup> In hostes implacabilis, ut Romanus, iure victoriae abusus est, ut nemo ante eum, privatasque iniurias sicut publicas ulciscebatur<sup>79)</sup> atque inermium

<sup>75)</sup> Cum Apollinis delphici thesauros sibi defiri iussisset, atque sonum ex adyto auditum esse, renuntiaretur; respondit: mirari se, neminem intellectisse, gaudentis esse, non indignantis dei canum. Plut. Sulla 12.

<sup>76)</sup> Plura de hoc apud Drumannum cit. II, 507. sq.

<sup>77)</sup> Duo exempla sufficient. Servo, qui dominum prodiderat, propositum praemium persolvit; dein proditione reprehensum de saxo praecipitavit. — Tribus milibus Antennatum impunitatem promisit, si commilitonibus caesis ad se transirent, eosque perfecta interemit. Plut. Sulla 10. 30.

<sup>78)</sup> Valer. Max. VIII, 14.: Sulla traditione lugurthae semper signavit.

<sup>79)</sup> Libertinum, qui pluris quam ipse in eadem domo habitaverat, rerum potitus interemit. — Athenienses ob quaedam convicia in se et uxorem crudelissime ultis est. Plut. Sulla 1. 6. 13.

millia quasi ludibundus caedebat.<sup>80)</sup> Verum aliquoties privatam ultiōnem enixis amicorum precibus condonavit<sup>81)</sup> sed iis, qui legibus suis tanto sanguine scriptis refragabantur, nunquam pepercit. Ita Lucretium Ofellam, qui Praeneste acerrimum Sullae hostem ceperat, contra cornelias leges consulatum penteētem, indicta causa in foro trucidare iussit, populoque cui alias ludis atque epulis blandiebatur<sup>82)</sup> hanc caedem frementi, suasit, ut

<sup>80)</sup> Plutarch. Sulla 32. εἰς Πραιτεστὸν ἔλθων· ὃς οὐ σχολῆς οὐ σηγῆς, πάντας ἀθρόως εἰς τάντο συναγαγὼν, μυρίους καὶ δισχιλίους δύντας, ἐκέλευσεν ἀποσφάττειν.

<sup>81)</sup> Velut in Caesaris venia. Sueton. Caes. I. Semper cum ludibrio quodam parceret, vel ita ut venia uti non liceret. Ita quum Alaei quidam, quorum urbem deleverat, pisces obtulissent, hos deprecatores optimos dixit. — Omnes Praenestinos ulturus, soli hospiti parcere voluit: qui hanc infamiam recusavit. Plut. Sulla 26. 28. Iuveni autem post abdicationem sibi maledicenti, (Appian. civ. I, 105.) parcere debebat, ne in odium simulatae modestiae incurreret.

<sup>82)</sup> Plutarchus Sulla 35. Appian. civ. I, 99.

si salvi esse vellent, tacerent.<sup>83)</sup> Hic idem Pompeium, populari gratia nimis elatum, quod potuit, moriens ultus est, eumque testamento neque heredem neque liberis tutorem scripsit.<sup>84)</sup> Hunc itaque virum, in iracundia vehementem<sup>85)</sup> magnaqua potentia instructum, Lepido caput petenti legibusque Cornelii exitium minitanti pepercisse putes? praesertim cum quindecim fere annis post G. Caesar sine satellitibus, adversis optimatibus, quaestorem Novium ob solum imminutum magistratum in carcerem coniecit?<sup>86)</sup>

Altera dubitatio de tempore est. Nam si L. Sulla, quod veteres narrant,<sup>87)</sup> anno ante

<sup>83)</sup> Plutarch. ib. 33. Appian. ib. 88. 94.

<sup>84)</sup> Plutarch. in Pompeio cap. 15. et in Lucullo 4.

<sup>85)</sup> Cicero Phil. II, 1. C. Marius in ira perseverans, L. Sulla vehemens.

<sup>86)</sup> Sueton. Caes. 17. coniecit in carcerem Novium quaestorem, quod compellari apud se maiorem potestatem (ipsum Caesarem consulem) passus esset.

<sup>87)</sup> Appianus de bello civ. I, 105.

Lepidi consulatum a dictatura se abdicavit; haec oratio a Lepido consule in Sullam dictatorem dici non potuit.

V. Has in quibus ego haerebam difficultates ab aliis iamdudum explanatas esse ratus, spe in uno alteroque frustratus, omnes deinceps quos potui libros evolvi.

Sed historici, qui res vel totius humani generis communiter amplexi sunt vel unius populi romani historiam scripserunt, nihil fere narrant, nisi, Lepidum vivo adhuc Sulla vel mox post abdicationem consulem creatum eius acta rescindere voluisse.<sup>88)</sup> Perpauci,

---

<sup>88)</sup> Rollin histoire ed. 1818. VIII, 312. — Grevier hist. rom. 1776. X, 331. — Ferguson history of the roman rep. 1783. III, 1. — Levesque histoire critique de la républ. rom. 1807. II, 454. — Catrou et Rouillé hist. rom. 1730. XV, 258. — Vertot hist. des révol. de la rép. rom. ed. 1819. III, 125. — Nieuport historia rep. et imp. rom. 1723. II, 303. — Buchholz philos. Untersuchungen über die röm. Gesch. 1819. II, 182. — Ségur histoire rom. 1825. II,

qui hanc orationem memorant, eam sine ulla dubitatione inter cetera Sallustii scripta referunt.<sup>89)</sup> Eundem exilem fructum ex literarum historiis atque ex commentariis de Sullae tempore,<sup>90)</sup> vel de Sallustii scriptis percepit.<sup>91)</sup> Versionum quoque auctores nihil auxilii attulerunt.<sup>92)</sup> Quocirca eos adii, qui de his Sallustii fragmentis peculiari studio disseruerunt.

Hi varias atque diversas sententias pro-tulerunt, quarum summa haec est.

131. — Kobbe röm. Gesch. 1841. II, 160. — Fiedler Gesch. der Römer. 1836. pag. 225. —

<sup>89)</sup> Utputa Rollinus, Kobbe, Segur, Reifius, Niebuhrius Vorlesg. cit. pag. 525.

<sup>90)</sup> Utputa Baehrius et Fuhrmannus cit. — Zachariae vero in libro cit.: Sulla als Ordner des röm. Freistaats; Erschius et Gruberus in Lepido, de hac oratione ne verbum quidem faciunt.

<sup>91)</sup> Utputa ex libro Mülleri C. Sall. Cr. oder historisch-kritische Untersuchung der Nachrichten von seinem Leben, der Urtheile über seine Schriften und der Erklärung derselben. 1817.

<sup>92)</sup> Utputa versiones Rollini, Reiffi et Kobbe.

Fuerunt, qui hanc orationem eam putarent, qua Lepidus consilia sua populo significaret potius, quam declararet;<sup>93)</sup> neque populum ad manifestam vim vocaret, sed per ambages, ut sibi fiderent, seque auctore acta Sullae rescinderent, exhortaretur.<sup>94)</sup>

Douza<sup>95)</sup> recti quodam sed admodum vago sensu ductus, haec disputat: „Omnium scriptorum narratio, „Sullam anno, qui hunc Lepidi consulatum antecessit, dicturam deposuisse, non iniuria falsa videri potest ex hac oratione, in qua de abdicatione dictaturae verbum nullum, de dominatione aucta sermo multus. Tamen verisimile non est, Sulla rempublicam tractante locum adeo liberae orationi in urbe concessum fuisse, si tamen pubi praesenti in concione habita

<sup>93)</sup> Haec Rollini sententia est, qui (l. c. VIII, 312.) „sans se décoverir entièrement, il fait néanmoins suffisamment entendre, quelles sont ses vues.“

<sup>94)</sup> Hoc Reifio arridet l. c. pag. 48.

<sup>95)</sup> Apud Frotscherum, tom. III. pag. 14.

fuerit, ex more romano. Quo magis in eam sententiam inclinat animus, ut credam, deposita quidem a Sulla dictatura, haec verba M. Aemilium consulem ad Quirites fecisse: sed deposita modo titulo tenuis, Sullaque dictaturae potentiam per idoneos homines retinente.<sup>95 a)</sup> In hos igitur potius, quam in Sullam magnam harum invectiveum partem convenire persuasum mihi est: eique sententiae non minimam fiduciam tribuit iterata in hac ipsa oratione satellitum sullanorum mentio, quos ille, dum dictator fuerat, — ditatos — ad summos honores extulerat. Hi pro Sullae actis — haud sequius, quam pro aris et focis nitebantur.“

Brossius<sup>96)</sup> aliam sententiam tuetur: Lepidum hanc orationem non in consulatu habuisse, ante quem Sulla mortuus sit; sed consulem designatum atque sine ullo du-

<sup>95 a)</sup> Eadem fere sententiam tuetur Fabri in edit. Sallustii. 1831.

<sup>96)</sup> Histoire de la république romaine. Dijon 1777. I, 341. (par de Brosses.)

bio in privato asseclarum coetu. Allocutionem enim Quiritium tam late non patere, ut ad solum populum pertineat, praesertim cum inscriptio: „Oratio ad populum romanum in genuino libro desit, atque Pomponio Laeto debeatur.“<sup>97)</sup>

Burnouf utriusque sententias affert, Brossio potius, quam Douzae favens. „Quirites autem contendit appellari potuisse, honoris causa, etiam in privatam domum congregatos homines. Nam factiosos, quantumlibet paucos, se totum esse populum facile sibi persuadere.“<sup>98)</sup>

<sup>97)</sup> Quae ut melius intelligantur ipsius Brossii verba subscripti: „Il est plus que probable, que Lépide tint ce discours dans une assemblée particulière de ses partisans et non — au peuple assemblée — comme les critiques l'ont cru mal à propos: peut — être trompés par l'expression Quirites, à laquelle ils ont donné trop d'étendue et surtout par l'intitulé: Oratio ad populum romanum. Mais ce titre fait par Pomponius Laetus n'est pas dans le texte original.

<sup>98)</sup> Caius Crispus Sallustius curante Burnouf. 1821. pag. 349.

Gerlachius hanc orationem a consule pro rostris pronuntiatam putat; „designatos enim ius concionandi non habuisse, multaque demonstrare, Sullam etiam tum dictaturam retinuisse. Tamen Appiani, Orosii, Plutarchi et Aurelii Victoris testimonia, quamvis per se parum certae auctoritatis, consensu fidem facere, Sullam anno ante Lepidum et Catulum abdicasse.“<sup>99)</sup>

Drumannus ita sentit: „hanc orationem eodem anno recitamat esse, quo Sulla mortuus sit, et quidem a Lepido consule, coram populo romano; cum se ipse consullem dicat et auditores Quiritium nomine appellent.“<sup>100)</sup>

Postremo sunt, qui „hanc orationem a Sallustio mere effectam putent, ut Lepidi consilia lectoribus significaret: ipsam enim, quamquam pro tempore, loco et rebus aptissime

<sup>99)</sup> Cai Crispī Salustii quae exstant ed. Gerlach. III. pag. 52. sq.

<sup>100)</sup> Drumannus cit. III. 338. sq.

compositam, tamen eiusmodi esse, quae Romae nullo pacto haberri potuerit.“<sup>101)</sup>

VI. De his sententiis satis curiose inquisivi, easque nunc suo ordine percensebo; eo tamen consilio ut potius rem ipsam, de qua agitur, quam singulas scriptorum opiniones examinem.<sup>102)</sup>

Primum quidem verum est, Lepidum consilia sua non omni ex parte aperire: attamen hostilem in Sullam animum satis mani-

<sup>101)</sup> Brossius l. c. haec profert: „On dira peut-être, que cette pièce est purement de l'invention de Salluste: — ce que je crois volontiers de cette pièce, non de beaucoup d'autres: — car elle n'était pas faite pour être rendue publique. — Drumannus l. c. eadem habet: „Sallust leiht ihm aber nur die Worte und gibt in der That nur eine Umschreibung seiner später beantragten Gesetze.“ Ad eandem sententiam inclinant: Reifius et Gerlachius supra citati.

<sup>102)</sup> Quid ex. gr. Drumannum refellam, qui in hac oratione privatam quoque Sullae vitam taxari putat?!

festare intelliges, si tyrannidis perfidiaे crudelitatis recorderis, quorum Sulla arguitur, animoque Lepidi cohortationes repeatas: „agant, nec votis parent auxilia: iniuriam solvant aut moriantur per virtutem,“ eumque de vi atque armis cogitare, ex evocatione patet: „ad-sint, seque consulem sequantur ad recipien-dam libertatem.“ Orationum autem apud Romanos civilis ratio haec erat, ut senatus rogaretur: „dicentis sententiam (vel auctoritatē) sequerentur;“<sup>103)</sup> populus vero, „ut rem vellent inberent;“<sup>104)</sup> neque unquam cives a civi appellati sunt, ut quem ducem sequerentur ad recipiendam libertatem, nisi in trepidā re atque repentina tumultu.<sup>105)</sup>

<sup>103)</sup> Exemplum apud Ciceronem invenies in Phil. I, 7. init.

<sup>104)</sup> Brissonius de formulis II, 214. — Varro de ling. lat. VI, 68.

<sup>105)</sup> Livius 34,25. hortatus coniuratos, ut — arma secum caperent — in forum pergit, elati-mans, ut qui salvam rempublicam vellent, auctorem et ducem se libertatis sequerentur. — Est vox non civibus, sed in exercitu atque ante pugnam usitata. Caesar de bello civ. III, 91. Crastinus, evocatus,

Nunc iam ea videamus, quae Brossius de privata coniuratione, de Quiritium appella-tione atque de inscriptione protulit.

Qui privatam coniurationem parat, pri-mum singulos ipse vel per amicos tentat, idoneos certo die convocat, rem paene con-ventam breviter explicat, eius gerenda rationem proponit; secum faciant, hortatur; fidem accipit. Hac saltem via atque ratione Catilina suam coniurationem paravit. Quo-rum Lepidus nihil. Verba enim de Sullae tyrannide facit eamque explicat, velut rem incognitam et nunc primum auditam;<sup>106)</sup> omnes coniurationis opes in sola audacia po-nit;<sup>107)</sup> quid? quod de auditorum consensu

— signo dato, sequimini me, inquit, et vestro imperatori — operam date.

<sup>106)</sup> Huius orat. §pho I. Clementia vestra et probitas — plurimum timoris facit, ne parum credendo circumveniamini.

<sup>107)</sup> Nostrae §. 5. „Satis illa fuerint, quae — toleravimus.“ §. 6. vereor, ne antecapiamini — ve-stra socordia. §. 7. quare igitur tanto — animo in-cedit? quia secundae res — sunt obtentui: quibus labefactis — contemnetur.

ante orationem dubitasse videtur.<sup>108)</sup> Eos igitur convocaverat, qui totam rem ignorarent, quorumque consensus admodum dubius esset? Delatores et indices inter tales auditores non timebat, dum Sullam tremens coniurationem clam parabat?

Quiritium autem appellatio ad solum populum eiusque summum ius referatur,<sup>109)</sup> ideoque in solis actibus publicis usurpatur, utputa in populi concione, in implorando civium auxilio et in iure coram magistratu populi romani.<sup>110)</sup> Singuli igitur cives nunquam Quirites vocantur: non enim populus sunt iure Quiritium rogatus vel imploratus;<sup>111)</sup> quin ne militum quidem concio hoc nomine

<sup>108)</sup> §. 6. neque iam quid existumetis — vereor. §. 8. Quae si vobis pax et composita intelliguntur, annuite rel.

<sup>109)</sup> Varro de L. L. VI, 68. Göttling. cit. 60.

<sup>110)</sup> Göttling. l. c. Haec etiam causa est, cur antiquiores romani singulari huius vocis numero nunquam usi sint. Vide lex. Forellini.

<sup>111)</sup> Cramer. de iuris Quirit. et civitat.

appellatur, cum deteriore iure sint milites, ac totus populus romanus, cuius iussu ducis imperio parent.<sup>112)</sup> Quam ob rem hoc nomen a privatis civibus adeo alienum erat, ut ne Catilina quidem, mortalium audacissimus,<sup>113)</sup> apud eundem Sallustium hac sociorum allocutione usus sit.<sup>114)</sup> Adde, Lepidum cum auditoribus ut cum vero populo agere eosque ceteris populis opponere.<sup>115)</sup> Quapropter nomen Quiritium hic de populo ad tur-

---

discrimine 1803. Niebuhrius in histor. rom. I, 326. 471. solos plebeios ita appellatos esse putat, contra quem Göttlingius inter alia legis Hortensiae rekte meminit: „ut quod plebes statuisset, id omnes Quirites teneret.“

<sup>112)</sup> Hac ratione Caesar deuenianos minitantes una voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, flexit, ut ei milites esse confessim respondeant. Sueton. Caes. 70. ibique Baumgarten-Crusius.

<sup>113)</sup> Cicero in Catil. II, 4. 5.

<sup>114)</sup> Vide Catilinae orationes apud Sallustium capp. 20. et 58.

<sup>115)</sup> Eos enim clementia sua per ceteras gentes claros esse ait; eos libertatem Latium dedisse. Huius orat. §§. 1. et 4.

bulentam concionem convocato, intelligendum esse puto.

De inscriptione res ita deciditur. Ex duobus, qui supersunt, horum fragmentorum codicibus alter quidem orationem sine titulo habet: alter autem titulum sistit, quem supra posui: „Oratio Lepidi consulis ad populum romanum;“ eundem quem Brossius posthabet. Qui codex quum ex Niebuhrii, huius rei censoris acutissimi, sententia, decimo saeculo scriptus est,<sup>116)</sup> haec inscriptio a Pomponio Laeto, quinque fere saeculis recentiore, nullo pacto ementiri potuit.<sup>117)</sup>

Gerlachius recte quidem ius concionandi designatis magistratibus abiudicat.<sup>118)</sup> Sed primum de iure in Lepido minus quae-  
siveriu, cui bellum civile molienti tanti erat

<sup>116)</sup> Cuius rei testis est Gerlachius cit. III, 18.

<sup>117)</sup> Nempe eius Sallustii editio anno 1490. Romae prodit.

<sup>118)</sup> Götting. cit. 156.

ius concionum violare. Dein Gerlachius oblitus esse videtur, quemcunque privatum concedente magistratu verba in concione ad populum facere potuisse, eiusque rei inde a Iulio Proculo exempla inveniri plurima.<sup>119)</sup> Audacem igitur practorem vel tribunum plebis nactus, Lepidus etiam designatus concionari poterat. Qua in re solus Drumannus rectum vidit: ipsam orationem Brossio obstat, in qua Lepidus se consulem cum summo imperio dicat. „Mihi, inquit (§. 8.), quamquam per hoc summum imperium satis quaesitum erat, . . . tamen potior visa periculosa libertas . . . . adeste Quirites et M. Lepidum consulem sequimini ad recipiundam libertatem.“

Iam de satellitibus dispiciamus. Sane quidem pluribus locis nominantur; tamen tota oratio intercedit, quominus cum Douza faciamus. Sulla enim solus omnium malorum arguitur; solus libertatem impedire dicitur; hoc uno sublato aequum ius ostenditur. Sa-

<sup>119)</sup> Göttingius ib.

tellites contra ubique secundo loco ponuntur,  
qui Sullae servi vocantur et ob exiguum  
numerum despiciuntur.<sup>120)</sup>

Atque re vera Sulla nondum abdicaverat. Orator enim eandem eius potestatem conqueritur legum iudiciorum omniumque rerum, quae a ceteris veteribus Sullae dictatori tribuitur.<sup>121)</sup> Sin vero haec oratio post abdicationem acta est, qui convenit, Lepidum hac de re nihil dicere, validumque perfidiae sullanae argumentum omisisse, Sullam vana abdicationis specie populum ludificari? rationes actorum civibus, qui vellent, promisisse, et tamen legibus solutum manere? Sed quid

<sup>120)</sup> Orationis §. 2. Satellites enim eius, neque satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mercedem dant. §. 4. plebis patrias sedes occupavere pauci satellites. §. 6. nam praeter satellites commaculatos quis eadem volt.

<sup>121)</sup> Plutarchus in Sulla 33. ἐψηφίσθη δ' αὐτῷ-ξενοσία θαράτον, δημεύσεως, αληρουχίων, κτίσεως, πορθήσεως, ἀγελέσθαι βασικίαν καὶ φυΐδοιο χαρίσασθαι.

argumentor? res plana est. Ipse Lepidus Douzam erroris convincet, qui abdicationem neque fuisse neque unquam futuram esse, affirmat. Hortatur enim populum: „Agendum est, Quirites, neque votis parauda auxilia: nisi forte speratis, taedium iam aut pudentem tyrannidis Sullae esse, et eum per scelus occupata periculosius dimissurum? At ille eo processit, ut omnia retinenda dominationis honesta aestumet.“ — Alioquin loco M. Aemilius criminatur: „neque aliter belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes — ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi romani fuit.“

Postremo neque illa proprius ad veritatem accedunt, quae a nonnullis disputantur, „hanc orationem, quamquam loco, rebus et tempore aptam, tamen tanto cum periculo coniunctam fuisse, ut haberi non potuerit, ideoque merum Sallustii commentum esse.“<sup>122)</sup> De persona non infitor: verba enim haec

<sup>122)</sup> Brosse l. c.

neque a Lepidi seditioso et mobili ingenio<sup>122a)</sup> neque ab iis, quae postea molitus est, abhorrent. Sed de loco et tempore his scriptoribus non concedo. Nam si prae metu Sullae haec oratio dici non potuit, hoc ipsum, si quid video, argumentum est, eam neque ad temporum rationem neque ad locum, id est urbem quam Sullani tenebant, aptam fuisse. Non enim satis erat calumniari, Sallustium in historia orationem Lepidi ementitum esse eam, quae neque habitas, neque haberis potuerit: vero similes etiam talis mendacii causae atque valida argumenta proferenda erant, quae hanc tantam in tam gravi scriptore levitatem et fraudem viris doctis probarent.

Quibus de causis aliorum sententiis posthabitatis, dicendum est: ipsa orationis verba docere, eam Lepidi consulis esse in Sullam

<sup>122a)</sup> Suetonius in Caesaris vita cap. 3. Lepidi — societate abstinuit, — ingenio eius diffusus.

adhuc dictatorem ad populum et pro concione agentis.

VII. Itaque recentiorum ope destituti, quod ab initio faciendum erat, iam ad ipsos veteres refugiamus.

Inter hos iam Zonaras exiguam librorum de hoc sullano tempore copiam conqueritur.<sup>123)</sup> Quanto felicior ille nobis, qui plures libros, quorum usus illi patebat, frustra desideramus,<sup>124)</sup> atque ex disiectis per multa volumina locis non speratam messem, sed tenue spicilegium magno cum labore vix percipimus!

Veterum autem quae ad nos devenere testimonia trifariam dividi possunt. Unum

<sup>123)</sup> Zonaras in annalibus IX, 31. edit. Bonn. pag. 279.

<sup>124)</sup> Utputa Zenobii librum, qui, teste Suida, Sallustii historias graece reddidit. Bähr. cit. §. 191.

est genus eorum, qui Lepidi conatus et con-  
ciones generaliter memorant.<sup>125)</sup>

In his Cicero in Catilinam: „Ultus est  
huius victoriae crudelitatem postea Sulla.  
Discessit M. Lepidus a clarissimo et fortissi-  
mo viro Q. Catulo.“

Dein auctor libri de viris illustribus, qui  
liber vulgo Aurelio Victor adscribitur, tota  
de Lepido narratione his verbis perfun-  
gitur:

„Lepidum acta Sullae rescindere volen-  
tem privatus Italia fugavit Pompeius.“

Denique Florus in epitome sua haec  
narrat: „Ergo cum Lepidus turbidis conci-  
onibus velut classico civitatem terruisset, pro-  
fectus in Etruriam arma inde admoverat. Sed  
iam Milvium pontem et Janiculum Catulus et  
Pompeius in seaderant. A quibus pulsus, ho-  
stisque a senatu iudicatus in Sardiniam  
recessit.“

<sup>125)</sup> Hic sunt: Cicero in Catilinam III, 10. —  
(Aurel. Victor) cap. 77. — Florus III, 24.

In his igitur libris ne verbo quidem al-  
tercationes inter Sullam et Lepidum fuisse,  
indicatur. Imo potius testes adsunt alii plu-  
res, qui Sulla rempublicam tenente omnia  
pacata et a discordiis vacua fuisse partim  
innuant, partim testentur; atque hoc est al-  
terum genus.<sup>126)</sup>

Primum enim tribunus plebis Macer in  
his ipsis historiarum fragmentis haec pro  
conacione agit:

„..... spem frusta fuisse intellexistis.  
Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat ser-  
vitium, finem mali credebatis. Ortus est longe  
saevier Catulus. Tumultus intercessit Bruto  
et Mamerco consulibus.“

---

<sup>126)</sup> Hic sunt: C. Macer in Sall. histor.  
fragm. ed. Orelli 1831. pag. 26. — Livii epi-  
tome 90. — Sueton. in Caes. 3. — Eutropius  
VI, 1. — Tacit. ann. III, 27. — Appianus de bell.  
civ. I, 3. 4. 105. — Iulii Exsuperantii opus-  
culum de Marii, Lepidi ac Sertorii bellis civilibus  
apud Gerlachium cit. III, 397.

Dein epitomator Livii, quisquis ille fuit, haec habet:

„Sulla decessit honosque ei a senatu habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. M. Aem. Lepidus cum acta Sullae tentaret rescindere, bellum excitavit et a Q. Catulo collega Italia pulsus est, et in Sardinia periit.“

Suetonius autem hac de re ita scribit:

„Sullae morte comperta, simul spe novae dissensionis, quae per M. Lepidum movebatur, (Caesar) Romam (ex Cilicia) propere rediit. Et Lepidi quidem sociate, quamquam magnis conditionibus invitaretur, abstinuit: quum ingenio eius diffisus, tum occasione, quam minorem opinionem offenderat.“

Tum Eutropius, ut solet, satis breviter:

„M. Aem. Lepido Q. Catulo consulibus, cum Sulla rempublicam composuisset, bella nova exarserunt.“

Dein C. Tacitus, civiles Romanorum discordias enarrans, haec refert:

„Ac ne bello quidem italico, mox civili, omissum, quin multa et diversa sciscerentur: donec L. Sulla dictator — otium ei rei haud in longum paravit: statim turbidis Lepidi rogationibus, neque multo post tribunis redditia licentia quoquo vellent populum agitandi.“

Postremo Appianus duobus locis eadem testatur: primo, in bellorum civilium exordio:

„ώδε μὲν ἐπὶ βραχὺ ἔλιξαν αἱ στάσεις ἐπὶ Σόλλα· καὶ κακῶν ἀντίδοσις ἦν, ὡν ὁ Σύλλας εἰργάζετο. Μετὰ δὲ Σύλλαν αὐθις ὅμοια ἀνεῳτίζετο.“

altero, in enarrandis Sullae temporibus:

„ἄρτι δ' ἀποστάντος αὐτοῦ Ἱωνίοι - ἡσυχῇ πάλιν ἐπιστάσεις ὑπερέβαλλον ἐτέρας.“

His denique accedit Iulius Exsuperantius, qui Sallustii historiarum libros in breve compendium redegit, ob eamque causam haud exiguum auctoritatem sibi vindicat. Verba autem eius ob nimiam, cui studet, brevitatem minus clara, cum aliorum narrationibus comparata, rem quam dico, affirmare videntur. Refert enim:

„Sulla cum teneret imperium multas leges ac iura praescripsit. — Huius acta cum conatur Lepidus in suo consulatu subvertere, contra collegam Catulum civile proelium gessit et victus est.“

Ex quibus verbis haud inepte colliges Iulium apud Sallustium invenisse, Lepidum conatus suos non cum Sulla imperium teneret, sed in consulatu suo atque post id imperium parasse.

Tertium autem est genus eorum, qui certissime affirmant, Lepidum Sulla vivo, nihil ausum esse atque hoc demum mortuo diu dissimulata consilia patefecisse. Hi quatuor sunt numero: Zonaras, Plutarchus, Appianus et Orosius.<sup>127)</sup>

<sup>127)</sup> Zonaras in annalib. X.2. edit. Bonn. pag. 302. — Plutarchus in Sulla cap. 34. et

Ex his Zonaras narrat:

„Λέπιδος μέντοι σπουδῇ Πομπήϊον ὑπαγείας τυχόν, εἰς τὴν Σύλλα δύναμιν ἐκείνον τελευτήσαντος ἔστων εἰσεποίει καὶ εἰδὼς ἐνοπλὸς ἦν, τὰ τῶν στάσεων ὑπολείμματα ἀνακυνῶν.“

Plurima autem hac de re Plutarcho et Appiano debemus. Prior enim in vita Sullae haec fere memoriae prodit:

„Sullam, felicis nomine assumpto, dictataram deposuisse, iureque creandorum consulum populo reddito, comitiis non interfuisse, sed e tempore in foro mansisse. Animadvertisse autem Lepidum ex adversa parte (*οὐ δὲ ἔστων*) Pompeio prensante consulem designari, Pompeiumque hac Victoria exultantem in foro ad se accersivisse factoque exprobato mala inde oritura praedixisse. Atque re vera novum consulem Pompeianis mox bellum intulisse.“

Pomp. capp. 15 et 16. — Appianus de B. C. I.99 — 107. — Orosius in historiarum V.22.

Alio loco Chaeronensis eadem ad hunc fere modum persequitur: „Sulla post Pompeii de Africa triumphum pudore commotus quievit, denique vero electionem Lepidi graviter ferens, Pompeo e comitiis digredi enti id male cessurum, in foro praedixit, eumque in testamento praeterit. Haec autem vaticinia mox post Sullae mortem eveniunt, cum Lepidus omni dissimulatione deposita statim arma cepit.“

Appianus nobis testis copiosissimus adest, apud quem haec inveniuntur:

„Olympiade, ait, centesima septuagesima et quinta res publica romana Sulla dictatore facto ad regni formam rediit. Tamen Sulla populo concessit, ut Tullium et Dolabellam consules crearet, quibus ipse dictator praeesset, insequentique anno cum Metello Pio consul creari passus est. Dein vero consulatum ultro oblatum recusavit, Servilioque Isaurico et Appio Claudio consulibus populo datis, summum imperium depositum atque in Cumanum secessit. Sed vix abdi-

cata dictatura, dissensiones Romae exortae sunt, atque Catulus a Sullanis, Lepidus ab adversariis consules electi. Dein exsequiis Sullae invito Lepido perfectis, consules statim inter sese altercati sunt; qua re senatus reipublicae timens eos iureirando adstrinxit, armis inter sese non esse certatos. Lepidus vero in Etruriam provinciam profectus, clam bellum paravit; denique, consilia sua senatui iam perspecta esse sentiens, exercitum ad urbem duxit, in cuius conspectu a Sullanis victus in Sardiniam traiecit.“

Haec Plutarchi et Appiani de abdicatio nis tempore testimonia ab Orosio confirmantur, cuius verba sunt:

„Creatis itaque P. Servilio et Appio Claudio consulibus visus est tandem Sulla privatus.“

VIII. Quibus testimonii, si diligenter perpenduntur, haec effici videntur.

Omnis illi scriptores, quos primo et altero loco posui, vel totam historiam romanam in brevem summam comprehendenterunt vel occasione in aliarum rerum tractatione oblata de Lepidi conatibus breviter memoraverunt. Quare singulas res, quae ad totam historiam leviores essent, vel ad propositum minus facerent, omiserunt. Unde fieri potuit, ut pacem dicerent eam, in qua nullum bellum civile, attamen caedes et proscriptiones essent,<sup>128)</sup> parvumque tumultum et caedem, si qua post hanc orationem fuit, silentio praeterirent, eadem ratione qua clodianas caedes reticuerunt, quas tamen factas esse aliunde comptum habemus.<sup>129)</sup> Quin ipse Macer hunc tumultum, si qui fuit, ab optimatum hoste concitum, cuius ne nomen qui-

<sup>128)</sup> Ita Florus III, 21, no. 23: nec idem tamen caedium qui belli finis fuit: stricti etiam et in pace gladii rel. — Lucanus: omnia Sullanae lustrasse cadavera pacis. Pharsal. II, 171. ibique Corrius et Weberus.

<sup>129)</sup> Cicero pro Mil. 14. crudelissima in foro caede facta.

dem publice proferre ausus est, facile omittere potuit. Accedit etiam temporis ratio. Constat enim, Sullam annos quinquaginta natum primum consulatum anno urbis gessisse DCLXV. (Olymp. 173, ante Chr. SS.),<sup>130)</sup> mortuum autem esse annum agentem sexagesimum et primum:<sup>131)</sup> qui prior numerus his X annis additus, annum urbis efficit DCLXXV. eundem, quo Lepidus consul fuit. Ex quo patet, Lepidum eodem anno magistratum iniisse, quo Sulla diem obiit. Inibantur autem tunc temporis magistratus Calendis ianuariis.<sup>132)</sup> Quare nec temporis ratio nec illi, quos secundo et primo loco posui, testes intercedunt, quominus haec oratio a Lepido consule in Sullam dictatorem pronuntiata sit.

Sed obstant illi, quos tertio loco dixi, rerum scriptores.

<sup>130)</sup> Velleius II, 17. — Plutarchus in Sulla 6.

<sup>131)</sup> Appianus B. C. I, 105. — Valer. Max. IX, 3. §. 8.

<sup>132)</sup> Göttingius cit. §. 99. pag. 272. —

Ex his Zonaras in numero non est; nam Plutarchum ad verbum descripsit, ideoque non verus atque idoneus testis est, sed assertor eius rei, quam ab aliis accepit.

Paulus Orosius Iustinum, Trogi Pompeii epitomatorem, auctorem sequi solet: interdum solus, interdum cum Iustino errat; sed in illis rebus, quas ex sinceris fontibus hausit, testis est minime sphenendus.<sup>133)</sup> Nostro autem loco in libro annualium more confecto invenisse videtur, Sullam iisdem, quos Appianus scribit, consulibus abdicasse.<sup>134)</sup>

Plutarchi principalis cura in explicandis moribus atque indole clarorum virorum versatur: qua ratione res vel diversissimas in narrando coniungit, aliasque inter sese co-

<sup>133)</sup> Baechrius cit. §. 238. — Fabricii biblioth. lat. IV, 3.

<sup>134)</sup> Novissime docte sciteque de Orosio disputavit Mörnerus: De Or. vita eiusque histor. libb. 1846.

haerentes disponit atque divellit. Quapropter chronologicam rationem minus curat saepe tempora confundit atque miscet.<sup>135)</sup> Itaque nostro quoque loco, quamquam commentarii Sullae et Sullanorum ei ad manus erant,<sup>136)</sup> ignorasse videtur, Sulla dictatore plures iam consules ante Lepidum electos fuisse, eumque repente et Sulla paene inscio creatum facit; quasi consulatum nulla petitione clam accipere potuisset! Quae incuria et levitas totam Plutarchi hac de re narrationem tam inconditam atque incertam faciunt, ut dubiae fidei esse videatur. Potuit enim res tam negligenter componens, etiam in hac parte ingenium potius et rurorem, quam certos testes sequi.

Appianus quoque in rebus, quas ab aliis mutuatur, veracissimus, ubi suo ingenio indulget, temere iudicat, saepeque falsa veris

<sup>135)</sup> Kiene cit. pag. 230—246. Niebuhr Vorlesungen cit. pag. 97.

<sup>136)</sup> Kiene l. c. —

immiscet.<sup>137)</sup> Quare nostro quoque loco in anno erravit; nam Sulla dicturam non Olympiade centesima septuagesima et quinta, sed anno urbis DCLXXI. init, qui Graecis annus est tertius olympiadis centesimae septuagesimae et quartae. In quo lapsus videtur homo graecus cum annos romanae reipublicae ad suam computationem referre vellet. Contra vero illa, quae de consulibus narrat, verissima sunt: fasti enim capitolini eocum consentiunt. Fuerunt autem consules:

Ol.	a. Chr.	a. U.
174 <sup>3</sup>	82.	671. C. Marius Cn. Carbo in mag. occisi.
174 <sup>4</sup>	81.	L. C. Sulla Felix Dr. L. Valer. Flaccus Mag. Equit.
175 <sup>1</sup>	80.	M. Tullius Cn. Dolabella.
		673. L. Corn. Sulla II. Q. Metellus Pius.

<sup>137)</sup> Niebuhr in röm. Gesch. II, 575.  
III, 233. 587. 563. —

Ol.	a. Chr.	a. U.
175 <sup>2</sup>	79.	674. P. Servil. Isauricus App. Claud. Pulcher.
175 <sup>3</sup>	78.	675. M. Aemil. Lepidus Q. Lutat. Catulus. <sup>138)</sup>

Haec igitur Appiani in recensendis consulibus veritas fidem facit, ut eum de abdicationis tempore nihil temere scripsisse, sed probos testes secutum esse putemus.

De dissensione inter Plutarchum et Appianum, quorum prior Sullam cum Lepidus eligeretur Romae praesentem, alter absentem dicit, non quaeram: res enim secundaria est, neque quidquam ad explicandam ipsam orationem facit. Id tantum urgeo, Orosium Plutarchum et Appianum in hoc consentire, Lepidum abdicata iam dictatura electum esse, vivoque Sulla consilia sua

<sup>138)</sup> Laurent fasti consulares capitolini 1833. Peter röm. Zeittafeln 1841. consulibus anni non nominatis, Sullam anno urbis 676. mortuum esse, refert. — Fischer, röm. Zeittafeln 1846. eum nostro Lepido et Catulo Coss. definetum narrat.

dissimulavisse. Testimonia autem his contraria, omni data opera, nusquam inveni.

VIII. Quare iam ipsam orationem perpendamus, num graecum et hispanum hostem romana virtute devincat.

Primum formae et significations insolentiores in oratione nostra occurunt, verba activa absolute, frequentativa pro simplicibus posita: adiectiva et participia locum substantivorum occupant: pronomina maiorum vi in alia commutantur; quaedam particulae saepius quam aliae usurpantur.<sup>139)</sup> Dein verborum positiones inusitatae offenduntur, utputa pronominium cum neutro aliarum vocum crebra coniunctio: substantiva collectiva cum plurali, feminina abstracta

<sup>139)</sup> Utputa: quom, adversum, serviti, maximus, faciundus, intellegent; — obviam eundum, agendum, obiectat, agitandi; — pessimi, flagitosorum postremus, externi, divina, humana, nefanda — pronomina demonstrativa pro relativis in nostra oratione saepius occurunt atque particulae sed, igitur, at, atque Sallustio usitatissimae. Gerlach III, 315.

cum neutro copulantur: quaedam ad graecum dicendi morem effinguntur.<sup>140)</sup> Praeter haec variationes structure inveniuntur, quae diversitate sua expressiores fiunt; quin adeo multae sententiae iisdem fere verbis repetitae sunt, quibus Sallustius in Catilina et in Jugurtha usus est.<sup>141)</sup> Itaque, ut verbo absolbam, haec oratio et formis et verborum positionibus et aliis rebus, quibus Sallustii usus a ceteris scriptoribus discedit,<sup>142)</sup> ab huius scriptoris dicendi genere haud aliena videtur.

Sed aliae res Sallustio minus dignae

<sup>140)</sup> Utputa: estne aliud reliqui — proles, geniti — probitas et clementia vestra — post futuri est graecum οἱ ἔπειτα γενησόμενοι.

<sup>141)</sup> Utputa: quid defensum est aliud, — quam sedes — neu cui nisi legibus pareremus, — Jugurtha 31. regna provinciae, leges iura iudicia, bella atque paces, postremo divina et humana omnia penes paucos erant.

<sup>142)</sup> De his vide sis doctam Gerlachii disputationem: de proprietate sermonis Sallustiani. Gerlach, cit. III, 307 — 332.

sunt. Rerum sane ordo is est, qui bene se habeat, quique documento sit, veteres in orationibus suis certum argumentorum ordinem sedulo quaevisse.<sup>143)</sup> Quinque enim sunt orationis partes. Initio enim orator monere volebat, ne Sullae tyrannidem ferrent, neve illos imitarentur, qui Sullam, quam libertatem sectari malent. Hanc enim tyrannidem intolerabilem esse, ideoque vi propulsandam. Tertio loco se a Sullae conviciis purgare atque innocentiam suam testari debat; postremo autem docere, Sullae vires futilis esse atque facile labefactari posse; atque in fine hortari, ut se ad recipiendam libertatem sequerentur. Hoc enim concionis schema oratori propositum atque adumbratum fuisse, iterata lectione facile tibi persuadetur. Sed nunc vide, quomodo singulas res et cogitationes ad hanc ordinem composuerit atque digresserit. Primum timet, ne populus romans a Sulla circumveniatur

<sup>143)</sup> Veteres certa praecepta in orationibus secutus esse nuper doce et eleganter demonstravit Spengelius in praef. Rhetoric. ad Alexandrum.

atque pericula vitare, quam iniurias ulcisci malit. Satellites quidem se mirari Sullae, qui libertatem subverttere velint, a Pyrrho Hannibale aliisque externis regibus defensam. (§§phis 1. et 2.) Huius autem libertatis iura Sullam arripuisse, qui eorum metu tutus sit. Quare agendum esse, quum nunquam dominationi renuntiaturus sit; nunc metum esse habendum vel faciendum; populum enim ad extrema redactum esse. (§§. 3. et 4.) Se neque seditionis neque sectorem esse, nec aliena praeda fructurum; finem autem faciendum esse scelerum, quorum Sullam non poeniteat. (§. 5.) His rebus populo expositis, se iam non timere, quid de Sulla existiment, sed quantum audiant; solos satellites illi favere; milites enim in paludes relegatos, tribunatu infensos non esse. Sullam igitur tanto agmine incedere, quia res secundae eius vitiis obtentui sint; viribusque labefactis contentui fore. Nunquam autem aliquid in legibus mutaturum, quin adeo tyrannidem suam populo salubrem praedicare. (§§. 6. et 7.) Quae si populo placeant, in servitute maneant: se quidem

non mansurum. Quod consilium si probent, se ad libertatem recuperandam sequantur. (§. 8.)

Quid in his offendat, ante oculos positum est. Primum enim singulae res apta cohaerentia carent, ita ut eadem pluribus locis repetantur. Dein plurima argumenta vi-  
gore atque nervo destituta sunt; utputa: li-  
bertatem romanam ab externis regibus de-  
fensam memorat, cum potius contra Corne-  
lium de republica a regibus et superbis ci-  
vibus in libertatem vindicata atque de tri-  
bunatu, libertatis propugnaculo, a cive ever-  
so, dicendum erat: de hoc autem tribunatu,  
quasi de parva re, alieno loco inter milites  
pauca verba facit, nihil severe, nihil fortiter  
agens. Dein quam debilis atque elumbis  
haec de militibus argumentatio, eos scilicet  
tribunatum non eversuros, quia in paludes  
relegati sint! quis autem ignorabat, eos fa-  
cile revocari posse, ut re vera ad exsequias  
Sullae Romam ultro affluxere? <sup>144)</sup> Quae-

<sup>144)</sup> Appianus B. civ. I, 105. sq.

dam praeterea adeo a veritate abhorrent, ut Lepidus auditoribus vix fidem facere potuerit. Sullanos enim miserrimos dicit, quos a Sulla ditatos esse omnes, ipso Sallustio teste, sciebant; <sup>145)</sup> plebem fame laborare narrat, cum ipsi auditores effusas largitiones Sullae eiusque copiosissima epula vidissent. <sup>146)</sup> Postremo gravibus in rebus sibi non con-  
stat, ita, exposito parvo satellitum numero,  
mox Sullam magno cum agmine incedentem  
facit (§. 7.), atque, quod maxime miror,  
timet, ne populus parum credendo a Sulla  
circumveniatur. Quid parum credere pote-  
rant de viro, cuius rapinas, caedes incen-

<sup>145)</sup> Cicero parad. VI, 2. — Sallustius Catilina cap. 51. 34, neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit. ibid. cap. 37. deinde multi memores sullanae victoriae, quod ex gregariis militibus alios senatores vi-  
debant, alios ita divites, ut regio victu — ae-  
tatem agerent, sibi quisque talia sperabat. Adde ib.  
capp. XI. extr. XXVIII, 4.

<sup>146)</sup> Plutarchus in Sulla 35. Appianus in bell. civ. I, 99.

dia<sup>147)</sup> viderant? quid reliquum erat tyrannidis, si populus, quod Lepidus vult, omni iure exutus, omniaque humana atque divina polluta erant? quas tyrannidis miserias eos docere potuit, quibus tyrannus ne servilia quidem alimenta reliquerat? Haec Lepidi argumentatio rhetoris est, non pro re et tempore dicentis, sed vana verba iactantis. Quibus rebus ad summam addo: hanc parum sibi constantem rationem in tota oratione perspici, quae inde quid fluxi atque incerticepit: cuius rei exempla plurima proferri possunt, utputa: praesidia novi consilii in sola audacia ponuntur, hostium autem vires futilis esse asseritur, non demonstratur: Lepidus nullum certum consilium profitetur, nulloque hostile, quem confessim petant, indicato, ad repentina arma vocat. Alia insuper res admirationem movet, nempe Lepidum Sullae tyrannidem saepius criminari, dictaturaे vero nomen quasi de consilio vitare.

<sup>147)</sup> Plutarchus in Crasso 2. ἐξηγόραζε τὰ καιέντα καὶ γειτνιῶντα τοῖς καιομένοις διὰ φόβον τῶν δεσποτῶν ἀπ' ὀλίγης τιμῆς.

Quanta hic erat materia de dictaturaे odio post tot lustra revocato, invidiose criminandi! Quidni potius populo exponit, Sullam dictatorem ab ipsis non iure, sed vi creatum ideoque superbū esse atque tyrannū? Postremo ineptam Graecorum imitationem in hac oratione animadvertes. Quamquam enim non infitior Sallustium cum in locutionibus, tum in sententiis graeca exempla secutum esse;<sup>148)</sup> sed unquam adeo ineptum fuisse nego, ut ea mutuaretur, quae rebus et tempori repugnarent. Absonum enim illud exordium, de timore, ne populus a Sulla circumveniatur, totum ex Thucydide desumtum est,<sup>149)</sup> pluraque alia, quae in hac oratione leguntur, ex Graecis, in primis Demosthene, excerpta sunt; cuius rei documenta apud interpres passim invenies. Quo au-

<sup>148)</sup> Poppo de Thucydidis imitatoribus ante edit. Thucydidis. — Gerlachius cit. III, 331.

<sup>149)</sup> Ex oratione Corinthiorum ad Lacedaemonios, I, 68. Illa quoque affirmatio Sullam non abdicatum, neque male parta periculosius dimissurum, tota ex Thucydide est. II, 63.

tem iure Sallustium, qui nusquam Graecorum simiam egit, tam insulsum fuisse argues, ut orationes Corinthiorum, aliorumque rebus laconicis aliisque aptum, ad res romanas referret, quarum status longe alias erat? aliaque reciperet, quae graeca magniloquenter tumerent, romana gravitate plena essent? Ubi, quaeso, in his omnibus illa praedicata Sallustii brevitas? ubi „illae sententiae, ex quibus nihil demi sine sensus detimento potest“? quid in his Crispus, „primo in romana historia“, simile? <sup>150)</sup> Haec Lepidi oratio mera declamatio est!

At unum fortasse, quamvis dubitatione motus, mihi obiicies, scilicet, hanc concessionem neque loco neque tempore aptam, tamen ad leve Aemilii ingenium a Sallustio effectam esse, ut luculentam reipublicae romanae Sulla dominante imaginem ante oculos po-

<sup>150)</sup> Seneca epist. CXIII: „ex Sallustii sententia nihil demi sine sensus detimento potest.“ Quintilianus X, 5. „illa sallustiana brevitas, qua nihil — potest esse perfectius.“ Martialis XIV. „primus romana Crispus in historia.“

neret; quod etiam Gerlachio placuisse video. <sup>151)</sup> Sed tale commentum, quam Sallustio indignum sit, iam supra exposui. Abhorret etiam a Sallustii scribendi ratione, nam in aliis eius orationibus omnibusque scriptis eum scriptorem agnosces, qui suas quam alienas sententias proferre malit, qui que aliorum verba ita reddat, ut sua videantur: utputa Caesaris oratio tota fere Sallustii est, <sup>152)</sup> quamquam genuina exempla in manibus erant. <sup>153)</sup> Quare valde dubitandum est, quin Sallustius (adeo si, quod aiunt, haec oratio mere efficta sit,) famae suae tam parum consuluerit, ut ingenio frenos ad-

<sup>151)</sup> Gerlachius cit. III, 53. et 54. — cfr. praeterea not. 122.

<sup>152)</sup> In hac quoque oratione Thueydem ante oculos habuit (III, 42 sq.); sed vide quam scite et sollerter Graecum non imitetur, sed superet.

<sup>153)</sup> Plutarchus in Catone testis est. Ciceronem scribas plures disposuisse, qui omnia tunc temporis in senatu dicta notis brevibus exciperent. Haec sine dubio Sallustium non fugerant, qui tamen more sua verba proferre maluit.

hiberet atque orationem suo nomine ederet, in qua multa de consilio false atque inepte disputaret.

X. Quibus rebus probe perpensis, ita existimo: primum a vero alienum videri, Lepidum tam seditiosam orationem Sulla praesente atque rem publicam tenente, impune habuisse; dein Plutarchi, Appiani et Orosii testimonia consensu fidem facere, Lepidum vivo Sulla nihil contra eius acta palam moliiri ausum; eaque testimonia, nisi repertis aliis certis veterum testimoniis temere posthaberi; quorum ego equidem inveni nullum; ideoque hanc orationem rhetoricum specimen esse, optimo ordine fortasse magistri ope excogitatum, cuius tamen auctor in singulis partibus ab hoc ordine discesserit, parumque sibi constiterit. Scimus enim Sallustium plures imitatores nactum esse, qui sua scripta eius nomine venditarent; in quibus M. Porcius Latro primum locum tenebat.<sup>154)</sup> Con-

<sup>154)</sup> De hac re vide sis Gerlachium cit. II, 23 et 24. — Baehrium cit. §. 191.

quirebantur autem eiusmodi orationes imperatorum tempore, quo ditissimus atque clarissimus quisque imperium affectare et ad tempus paratas orationes in promptu habere solebant, quibus in alloquendis militibus vel civibus uterentur.<sup>155)</sup> Unde etiam factum videtur, ut haec oratio contra rei veritatem in Sullam efficta, aliquid vagi atque incerti habeat, et paucis rebus atque sententiis mutatis, in quemcunque saevum atque violentem tyrannum quadret. Quisquis autem ille fuit, qui eam scripsit, Sallustii elocutionem diligenter edidicerat,<sup>156)</sup> eiusque genuinam hi-

---

<sup>155)</sup> Teste Suetonio in Tito cap. 6. Caecium — confodi iussit; sane urgente discriminé, cum etiam chirographum eius praeparatae apud milites concionis deprehendisset. Idem in Domitiano cap. 10. Complures interem: — Metium Pomposianum, quod habere imperatoriam genesin vulgo ferebatur, concionesque regum ac ducum ex Livio circumferret . . . .

<sup>156)</sup> Colligebantur enim a veteribus elocutioni ex classicis scriptoribus exempla; cuius generis librum praeter alios confeicit Amsianus Messus.

storiam ante oculos habuisse videtur; sullanarum enim rerum scientissimus est. Illae quoque huius orationis voces, quas veteres ipsi Sallustio adscribunt, ex eadem historia desumptae videntur.<sup>157)</sup>

---

De hoc libro qui diu Frontonis habebatur, vide sis Niebuhr. *Frontonis* opp. 1816. XXXI. sq.

157) Utputa *Servius* ad *Virgil.* eclog. III, 13. „Sic Sallustius: scaevus Romulus.“ — *Seneca rhetor.* controversial. IV, 24: „sallustianum: Res secundae mire sunt vitiis obtentui.“

Video nostris diebus multos eo procesisse audaciae, ut ingenii ostentandi causa genuina scripta pro falsis habeant, atque a veris auctoribus abiudicent, aut omni vetustatis pietate omissa veterum testimonia vel ad lubitum interpretentur, vel, siclare refragantur, insolenter repudiant.<sup>158)</sup> Ego contra certis veterum testimoniis mihi niti videor; neque in maiorem temeritatis reprehensionem incursum esse, quam illi viri, qui duas ad *Caesarem* epistolas, quae vulgo *Sallustii* feruntur, quum et temporum ratione et parum vero simili conceptione et argumentorum debilitate suppositiae videantur, a *C. Crispo* abiudicarunt.<sup>159)</sup>

---

158) Taxavit nuper, ut solet, lepide et graviter, celeberr. *Henr. Carol. Abrah. Eichstadius* hanc temeritatem in disputacione: de *ICorum* atque philologorum discordi saepe concordia, Jenae 1839.

159) Sunt hi *Lipsius*, *Carrio*, *Gerlachius*, *F. A. Wolfius*, *Kritzius*, quem vide in praefatione editionis *Sallustii* pag. XVII. et sq.

---

Fribergae Saxonum, typis Gerlachianis.